



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 39. Papæ epistola per Vicecomitem ad Legatos delata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

§. XXXIX.

Sæcul. XVI.

A.C. 1563.

Papæ epistola per Vicecomitem ad Legatos delata.

Pontifex pluribus ejusmodi articulis vehementius insistebat in literis, a Vicecomite ipsius Nuntio ad Legatos allatis, in quibus palam quidem profitebatur, quod neutiquam petere dissolutionem Concilii aut ullum cum exteris Nationibus dissidium fovere vellet: verum media, quæ ad placandum Cardinalem Lotharingium, Gallosque proponebat, difficulter executioni mandanda opinabatur, aliunde vero opinionem a Curia Romana adoptatam, ac proprio ejus genio gratam, vi cujus Pontifex universalem Ecclesiam regendi auctoritatem habere dicitur, dimittere recusabat: quinimo Cardinalis Borromæus, qui eidem sententiæ firmiter adhærebat, sat mirari non poterat, quod nonnulli hanc veritatem definire ambigerent; se enim subnixum credebat auctoritati Oecumenici Concilii Lugdunensis, & Florentini, insuper noverat in vetustissimis diplomatibus Romanum Pontificem appellari *Episcopum Ecclesiæ Catholicæ*, quod idem sonat, ac *Universalis Ecclesiæ Episcopum*. Denique innitebatur antiquæ consuetudini, vi cujus Imperatores, cum ad Papam

Pallav. c. 15. num. 3. Lit. Borr. ad Legat. & ad Mant. 24. 27. & 28. Jan. ann. 1563.

Papam

Sæcul. XVI. A.C. 1563. Papam rescribunt, hac inscriptione utuntur: *ad Pontificem Universalis Ecclesiæ*: nihilominus ipsemet Pontifex in literis antea memoratis hanc vocem, penitus tamen retento genuino illius sensu, nonnihil moderari indulgebat, (*) ut loco horum verborum: *Episcopus universalis Ecclesiæ*, apponi posset, quod *regat universum gregem Domini*, aut simpliciter *Ecclesiam Dei* omissa voce *Universalis*. Denique cum haud immerito timeret Pontifex, ne hæc simulata moderatio non minus ingrata foret, quam aperta declaratio, consentiebat, ut nec de ejus, nec Episcoporum auctoritate sermo fieret, ne exinde contradicentium libido irritaretur, si tamen hac ipsa indulgentia, quæ Pontifici sane carisset, nondum inter Patres tranquillitas redderetur, Legati Sessionem tandem differre jubebantur, quamdiu id ad sedandos animos necessarium duxerint. (**)

§. XL.

(*) *Nō*, addit Pallavicinus, *cum alieni animi duritie decertaretur.*

(**) Iniquum Continuatoris animum abunde deprehendet ille, qui ex ipso Pallavicino totam hujus epistolæ seriem perlegerit: de cetero nemini ignotum est, cujus auctoritatis fuerit ille, qui primus Romano Pontifici titulum